C

DE PYRETHRO▸ CAP▸ CCXLVI▸

NOMINA.

Pyrethron cur dictum, Saliuaris herba quare nominata.

ΠΥΡΕΘΡΟΝ græcè, Saliuaris latinè dicitur. Officinæ græcam appellationem retinuerunt. Germanicè Bertram nominatur. Pyrethron autem à feruido, ac ignis simili, qui in eius radice est sapore, Græci dixerũt. Saliuaris uerò, quod mansa uel ore tantum detenta eius radix, copiosam saliuam eliciat, Romanis appellata est.

FORMA.

Herba est caulem foliaq; syluestris Dauci, & Fœniculi instar proferens. Vmbellam Anetho similem orbiculatam. Radicem pollicis crassitudine, longam, sapore feruidissimã. Hæc Dioscorides. Vbi nobis monendus uenit lector, Pyrethrum nostri soli non ex omni parte huic descriptioni respondere. Non enim umbellam anetho similem, sed anthemidis potius orbiculatum capitulum, quod Ptarmici tribuit Dioscorides, habere deprehenditur. Cætera omnia adamussim respondent. Siquidem habet Pyrethrum caules & folia Dauci syluestris & Fœniculi, radicem pollicis crassitudine, gustus ardentissimi.

Pyrethrum nostrum Ptarmices flores obtinet.

LOCVS.

In Germania nostra, quod sciam, non nisi plantatum prouenit.

TEMPVS.

Floret æstatis maxima parte.

TEMPERAMENTVM.

Excalfacit & siccat in tertio ordine, uel ut aliqui putant, in quarto.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Pituitã elicit radix: ideoq; dentium doloribus decocta in aceto, colluto inde ore,
D auxiliatur. Mansa pituitam extrahit. Sudores ciet, inuncta ex oleo. Diuturnis rigoribus efficax. Contra refrigeratas partes corporis ac resolutas eximiè conducit.

EX GALENO.

Pyrethri radice potissimũ utimur urentem facultatem obtinente, qua uticq; dentium etiam refrigeratorum dolores mitigat. Et ad rigores ante circuitum cum oleo infricatur. Ad hæc stupidos & resolutos adiuuat.

EX PAVLO.

Pyrethri radix adurentem potestatem occupat, dentium qui frigori patuerunt dolores lenit. Item ad febrium rigores ante circuitum infricatur cum oleo. Ad hæc ijs quorum corpora ex refrigeratione stupent, & resoluta sunt, efficacissimè adhibetur.

DE PYXO.

PYRETHRVM